



Göttingen. Diss. jur. 1800 - 1803.

1800. Breuls, de contractu commissionis ad merces coemendas datae
(vom Commissions-Einkauf-Contrakte).
Dieterichs, Analecta de fructibus ultimi anni, et utrum veteri
utrum novo calendario sint adiudicandi.
Hoch, De differentia inter cambii cessionem et indossationem.
v. Post, De testamentificatione coniugum secundum statuta Bremensia.
Rose, De gemina unionis prolium indole et de iuribus atque ob-
ligationibus, quae per eam ... stabiliri ... dicuntur.
1801. Eichhorn, De differentia inter auctores et arbitros compromissarios.
Hoffmann, De indossatione cambii a iudeo in christianum facta.
Kellinghusen, De crimine homicidii eiusque speciebus habita
relatione inter C. C. C. et statuta Hamburgensia.
Lehmann, De valore principii veritati insinuandum esse
servandum quod non vergit in dispendium salutis vel
in alterius detrimentum.
Sengebusch, De indole iuramenti diffessionis secundum ius Ger-
manicum commune.
1802. Boormester, De monopolis.
Hartmann, De capacitate feudorum.
Heise^{st.}, De successoribus necessariis.
Heise, F. H., De natura atque indole contractus cambialis.
Martin, De indole contumaciae in causis civilibus contentiosis.
Meyersieck, De protestu maritimo. Von der Verklarung.
Rodbertus, De inofficiosi testamenti querela.

DE
GENVINA VNIONIS PROLIVM INDOLE
ET
DE IVRIBVS ATQVE OBLIGATIONIBVS
QVAE
PER EAM TAM INTVITV PARENTVM VNIENTIVM,
QVAM LIBERORVM VNITORVM STABILIRI IVRE
VEL INIVRIA DICVNTVR.

SPECIMEN ACADEMICVM

AVCTORE

I. F. C. ROSE

BREMENSI.

GOTTINGAE,
IN OFFICINA BARMEIERIANA
MDCCC.



GEWISSE THEOLOGISCHE ERWÄHLUNG

DE THEOLOGISCHEN FACULTÄT

AN DER UNIVERSITÄT

WÜRZBURG

ST. JEROMUS

AD ROMANOS

LIB. I. C. 10. 33

1702

IN VINDOBONA



ILLVSTRISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO
D O M I N O
IOANNI GEORGIO AB VSLAR
REGI MAGNAE BRITANNIAE ET ELECTORI BRVNSVICO - LVNEBVR-
GENSI A CONSILIIIS REGIMINIS DVCATVS BREMENSIS ET
VERDENSIS

DOMINO HEREDITARIO IN EBBICKERODE

ET

MAGNIFICO AC SVMMVM REVERENDO
D O M I N O
Dr. IOANNI CASPARO VELTHVSEN
ECCLESIARVM ET SCHOLARVM PER DVCATVM BREMENSEM ET VER-
DENSEM SVPERINTENDENTI GENERALI, NEC NON A CONSI-
LIIS REGII, QVOD STADAE EST, CONSISTORII.



FAVTOBIBVS ET PATRONIS SVIS
OPTIMIS

CVM

ARDENTISSIMO PRO TANTORVM PATRONORVM FEL-
CITATE PERENNI

ET

PROSPERITATE OMNIGENA

VOTO

HOC QVALECVNQVE STVDII ACADEMICI

SPECIMEN

SACRVM ESSE CVPIIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOB HVMIILLIMVS ET OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Experiendi causa finitis studiis academicis, quid valeant humeri, quid ferre reculent, institutum iuris germanici, scilicet unionem prolium elaborandum suscepi.

Verum quidem est, innumera fere de unione prolium scripta proficere, quae initio me utique et iusto timidiorem effecerunt, et nimis a proposito deteruerunt; ea perlegendi vero animus magis magisque (praesertim propter incredibiles fere DD. dissensus) propositum exequendi crevit.

Nam

Nam et verum itidem est, me ex omnibus, quae ad manus erant, scriptis de hac materia, nullum inuenisse, in quo omnia et definitioni datae et ipsi vnionis prolium notioni adaequata et consona proferantur, sed multo magis me in omnibus quid reperisse, quae tam a definitione, quam ipsa notione abhorreant quam maxime.

Non desunt nempe, qui istud negotium totum, quantum principiis iuris romani de adoptionibus et arrogationibus diiudicandum arbitrentur; non desunt, qui saltim vnionem prolium vno eodemque cum adoptione capite, vt loco quam maxime congruo, tractari affirmare non erubescant; non desunt, — quo plurimos refero — qui ad minimum principia iuris romani illis iuris germanici satis inepte permisceant.

Haec confusio diuersorum diuersi iuris principiorum in tota fere iuris materia eo praesertim tempore contigit, quo per plures germani ex Italiae academiis reduces partim academiarum in Germania neo erectarum professores partim iudices electi non nisi et quidem nimium quantum iure romano et canonico imbuti rerum germanicarum nullam prorsus nec historiae patriae nec iurium consuetudinumque patriarum notionem nec rationem habentes, deficiente meliori instituta germanica toga romana saltim velare, quam ignorantiam confiteri satius duxere; quanquam haec
 ipsa

ipſa toga romana inſtitutis germanicis tam inepte quadra-
ret, vt deformitas exinde oriunda ipſa id ipſis iam debuif-
ſet diſſuadere a).

Quae omnia cum nonniſi ex debitae diuerſorum prin-
cipiorum ſeparationis defectu potuerint oriri, legem mihi
propoſui, omnia in ipſa rei tractatione dicenda ex ipſo
vnionis prolium conceptu et quidem logices principiis
conuenienter deriuare b).

Et ſi quae hac procedendi methodo eueniant, quae
multis vel inaudita vel mira et paradoxa aliisque forſan
et plane abſurda videantur; nec culpae nec negligentiae
ſed propoſito conſilio haec tribuenda eſſe ſibi habeant per-
ſuaſum. Neſcio ſane an ita ſentientibus ſolatio eſſe poterit,
quod illis aſſeuerare non dubitem, me in plurimis ſcriptis

de

a) Quam ſtolidae ex hac confuſione opiniones, quanti errores ex-
inde inualuerint, vix eſt credibile. vid. Ill. PÜTTERI ſpecimen iur.
publ. et gent. med. aev. tot. Cap. X.

b) Iam ſatis clare et neruoſe vox vernacula (*Einkindſchaft*) naturam
et indolem huius pacti exprimit, cui tanta vis, tanta poteſtas in-
eſt vt vnitatem vel identitatem ſobolis per fictionem ſignificet, per-
indeque habeatur ac ſi liberi ſic vniti ex vno eodemque matrimo-
nio eſſent prognati.

de vnione prolium perfectis in multa incidisse, quae iure
talia et mihi visa sunt!

Si quae tamen et hic errata et iuuenilis aetas et in-
nata quasi cuiilibet *Publico, venerabili admodum tribunali,*
primo quid, et quidem opusculum tam leuidentse, offerendi
formido; haec omnia simul sumta beneuolam aequi rerum
aestimatores veniam mihi certe impetrabunt.

Errata.

§. 17. lin. 3. loco requisita; lege requisita.

§. 26. — II. — iducit — inducit.

§. 35. — 7. — debite — debita.

Vt lector beneuolus caetera ipse corrigat desuper eiusdem nobile
officium humanissime imploratur.

CAPUT I.

De pactis successoriis in genere.

§. I.

Iure romano non minus quam germanico priuatis ius per pacta siue conuentiones speciales iuri communi derogandi, conceditur. Iure romano id fieri posse, si non iam pactis sic dictis adiectis, certe ex forma actus iudiciales expediendi (forma processus) — quae quidem obseruanda iure communi praescripta, eamque tamen priuatorum pactis mutari posse, neminem fugit — satis probari crediderim.

A

Iure

Iure germanico vero, quo omnia omnino pacta honesta tam valida sunt, vt et actionem producant, res plane omni dubio caret *c*).

§. 2.

Maxima autem differentia inter vtrumque ius, ratione pactorum successiorum inuenitur. Ius enim romanum illa tanquam vota captandae mortis, ideoque iam bonis moribus contraria et tristissimi periculosique euentus credebantur, generatim inualida declarat *d*). Ad quod accedit, quod testamenti factio praecipua civium romanorum praerogatiua et quasi iuris publici censebatur, qua nemo pacto vel alio quocunque modo possset priuari. Sed Germaniae constanti vsu haec pacta iam inde ab antiquissimis temporibus valida sunt reputata *e*). Germani vota captandae mortis vti et do-

d) Hodie itaque hereditas ex triplici capite deferri potest, scilicet ex pacto, ex testamento et lege, seu ab intestato.

d) Ius romanum tamen non omnia pacta successoria improbare videtur l. 15. 19. 30. C. de pact. Adquisitiua vero — si a militibus discesseris, cit. l. 19. — omnia reprobauit. Quae pacta successoria vero iure romano non sunt reprobata, meo iudicio hoc nomine vix insigniri merentur.

e) Tacitus de morib. german. c. 20. Lex Salica. Tit. 49. Ripuar. Tit. 48. Angl. et Verinor. Tit. 13. Formul. Marculfi. Lib. I. c. 12. lib. II. c. 7 et 13.

dolosas heredipetarum artes aequè parum curabant, et cum pactis, ut plenam obligationem civilem producerent, generatim nullam formam solemnem praescripserint; pacta quoque absque vlla solemnitate inita eoque valida censenda erunt, quo leges speciales solemnitates non exigant *f*).

§. 3.

Inter multifarias distinctiones pactorum successorum illam hic praefertim notatu dignam existimo, qua pacta successoria

- 1) in pacta simplicia,
- 2) in pacta mixta dispescuntur.

Et quanquam tota haec distinctio originem suam incongruae germanicorum et romanorum principiorum commixtioni debet; ita tamen usu inualuit, ut proprio ausu iudici ab illa recedere, illamue prorsus negligere non liceat.

§. 4

f) SCHILTER Exercitat. 8. Thef. 10.

§. 4.

Differentia specifica inter utriusque generis pacta haec est: simplicia simpliciter ex iure pactorum, mixta vero ex iure ultimarum voluntatum sunt diiudicanda g).

Quod vero omnia pacta successoria commune habent, est: quod in quolibet pacto successorio de hereditate alicuius *certum quid* definiatur, alias non est pactum successorium, sed aliud quoddam, quod pacta successoria magis minusue refert. Vtrum nunc unio prolium ad pacta successoria propria, iure possit referri; ex sequentibus apparebit.

§. 5.

Unio prolium vero est conuentio parentum de prignis cum liberis propriis prorsus exaequandis h).

Qui-

g) Vberiore expositionem huius differentiae inuenies in ROESSING diff. de pact. successor. secund. princip. iur. hodiern. Götting. 1799. STRYCK de success. ab intest. diff. VIII.

h) I. H. BÖHMER introduct. in ius digestor. lib. I. tit. 7. §. 7. HOFACKER principia iuris ciuilibis romano-germanici tom. I. §. 607. L. B. de ICKSTATT opuscul. III. de unione prolium Franconiae statutaria.

Quicumque nunc definitionem concedunt, quae ex ea legitimo modo deducuntur, quoque concedant, oportet.

§. 6.

Inde ab antiquissimis temporibus quam primum filiae aequae ac filii hereditatis omnium bonorum allodialium capaces erant, apud veteres Germanos, inter coniuges, civici praesertim ordinis, communionem bonorum in usu fuisse vix ullum fugit. Haec communitio bonorum uniuersalis adhucdum in nonnullis Germaniae territoriis et urbibus ius commune constituit, v. g. in Holfatia, in Episcopatu Fuldenfi, et aliis quibusdam, nec non in civitate Stada inter ciues civici ordinis, sicuti et in Buxtehuda vi statutorum obtinet. Vbi vero vel etiam restricta magis, vel plane abrogata deprehendatur, reliqua eiusdem ubique vestigia tamen, et his in locis in usu fuisse, abunde produnt. — Ex communitioe bonorum vero unione prolium natales deducere in apriico est. Cum enim coniugum in communitioe bonorum viuientium mortuo alterutro, superstes ad alia vota migrare, et nouam denuo cum nouo coniuge communitioem bonorum inire vellet; non posset non euenire, vt



liberis — qui ratione primae communionis bonorum defuncti parentis locum tenent — geminata bonorum communio, et periculofam confufionem bonorum caufaret, ipfisque et fraudi effe poffet: quae vt euitentur, vel feparatione liberorum, vel vnione prolium opus effe liquet; relicta tamen parentibus, inter vtramque eligendi libera poteflate.

Quae deriuatio probabilior faltem mihi videtur, quam quae ab aliis — qui quafi ab Adamo incipiunt, vt vnionem prolium affequantur, et tamen ab ea quam maxime tandem deflefcunt — ex adoptione romana deducitur.

Faceffant igitur quoque omnes illae quaefiones inanes ex doctrina iuris romani de adoptione et arrogatione vnioni prolium immixtae — fcilicet vtrum fexagenarius vnionem prolium inire poffit — vtrum femina vnire valeat — vtrum inter vnitos matrimonium fubfiftere queat — et fexcentae id generis aliae.

§. 7.

Vnio prolium itaque sine dubio est institutum patrium, ab omni iure peregrino quam maxime alienum, ideoque ex genuinis patrii iuris fontibus potest tantummodo explicari. Sed cum leges patriae vniuersales de hoc instituto deficiant; nihil restat, quam vt, vbi et leges particulares desint, ex ipsa ipsius instituti natura, indole, et pacifcentium sine sibi proposito vnice definiatur.

Non desunt quidem. qui leges vel obseruantias de vnione prolium vniuersales proferre posse sibi demulceant, quique mirum satis in modum id probandi causa Reformationem Francofurtensem, vel ex Musculo constitutionem Moguntinam de vnione prolium producant — quam generaliter tamen haec specialia probent, nemo non videt. Alii eodem conatu ducti, vnum alterumue iuris romani pedissequum probando auctorem proferunt, qui vnionem prolium, nomine quidem, iure Romano exoticum quid arbitratus, summa tamen ipsius contenta in adoptione vel arrogatione romana contineri, atque haec omnia, eodem calopodio calcere non dubitat, ita



vt cuilibet sana ratione praedito, notiones studio esse confusas necessario videatur i).

§. 8.

Ex his hucusque dictis iam quodammodo intelligi potest, pactum vnionis prolium non directe de successione sed tantummodo de paratione liberorum iniri, ex qua paratione cum liberis propriis vero, ius succedendi — si quod liberis propriis competit — et vnitis adquiri, tantum necessario sequitur k). (Principium enim cognoscendi iurium, vnitis, facta vnione prolium, competentium, hauriendum est ex iuribus succedendi, quae in liberis propriis tempore celebratae vnionis concipiuntur.

§. 9.

i) Inter omnes, qui de vnione prolium ex professo scripserunt, — quique ad manus erant — nemo veritati (conceptui conuenienter) propius accessisse, conceptumque melius seruasse videtur, quam III. CLAPROTH in *seiner Rechtswissenschaft von freywilligen Gerichtshandlungen*, Göttingen 1789. et JO. HARTW. REYTER in *diff. de iure testandi vnientibus post initam vnionem prolium competente etc.* Halae, Magdeb. 1750, qui et records aliorum opiniones vti v. g. fragmenta de adoptione et arrogatione vnioni prolium immixta et de innumeris ab aliis postulatis folemnibus requisitis, et alia plura eiusdem farinae pro merito traduxit.

k) FRANZKIVS in *Resolut.* II, 6, et 15.

§. 9.

Quodsi nunc vero etiam abunde concedatur, iura
 propriorum liberorum, quae omnia per pactum unionis
 prolium priuignis acquiruntur, ipsis praesertim ratione
 successione acquiri, quaestio nihilominus exoritur: quae-
 nam iura successione denique competunt liberis propriis?
 et ad quid ratione successione ipsis parentes sunt obli-
 gati? Resp. ad I. nulla, ad II. ad nihil. Proprie enim
 loquendo in bona parentum liberis, viuis adhuc paren-
 tibus, non *ius* sed *aptitudo* tantum et *potentia* succe-
 dendi competit *l)*, imo nec in legitima ante obitum
 parentum quidquam iuris sibi arrogare possunt *m)*.

§. 10.

Quid quod si vel maximum concedatur, liberis
 propriis nempe ius aequis portionibus parentibus *ab*
in-

l) De PUFENDORF Element. iur. vniuers. Lib. I. d. 5. §. 18. et
 d. 8. §. 3.

HAHN de iure rer. concl. 6. Nro. 11.

m) L. 1. §. 21. de collat. et gloss. in authentic. si qua mulier C. de
 S. S. Eccl. verbo: si moriatur.

intestato succedendi, facto vero a parentibus testamento ius saltim legitimam exigendi competere, et vnitis eadem, nec vero plura nec fortiora iura tribuenda esse ex vnionis prolium conceptu, nomine et natura iam apparet. Per vnionem prolium igitur vti iam dictum compriugni *eadem* iura assequuntur, quae propriis competunt, scilicet vt facta vnione considerentur ac si vnus eiusdemque cum propriis matrimonii essent; ideoque et parentes iura, quae ipsis competunt, intuitu liberorum propriorum, retinebunt quoque intuitu priuignorum.

§. II.

Cum itaque vnione prolium inter parentes et priuignos idem nexus inducitur, quem inter parentes et liberos proprios ipsa natura inducit; — quae ratio nunquam obliuiscenda — consultissimum esse duco, quam primum controuersia ex isto nexu per vnionem prolium inducto decidenda occurrit, ante omnia vnionem prolium initam esse prorsus obliuioni tradi, et quisquis iudicans liberos ex iisdem omnes omnino parentibus natos esse, abunde sibi habeat persuasum; hancque, quae inter parentes et liberos intercedit, rationem in succum quasi

quasi et sanguinem vertat, necesse est, nisi sparsis vbi-
que principiis plane diuersis, iisdem tamen vbi-
que permixtis in errorem duci et quasi in sole cali-
gare velit. Quaelibet sane hoc modo multo facilius,
multoque naturae rei conuenientius dissoluetur quaestio,
quam si quis inutiliter penitus et infelici modo multis
difficultatibus, quibus remouendis impar quisque est, se
prius implicaret.



CAPUT II.

De ineunda vnione prolium.

§. 12.

Ad validitatem pactorum iure germanico — si paciscentes libera gaudent se obligandi potestate, sique metus, vis et dolus abest, et obiectum insuper tale est, de quo priuatis disponere licet — nihil requiritur, quam vtriusque paciscentis consensus *n*). His principiis etiam pactum vnionis prolium diiudicandum esse credo, nisi leges particulares ineundae vnioni prolium aliam praescripserint formam.

§. 13.

Multi vero alia plane de ineunda vnione prolium principia stabilientes, innumera fere alia requisita necessaria esse contendunt.

Et

n) Ill. RYNDÉ *Grundsätze des teutschen Privatrechts* §. 184.

Et primo quidem et consensum vnientium necessarium esse ad ineundam vnionem prolium satis prolixè ab illis probatur; sed cum consensum paciscentium naturale cuiuslibet pacti requisitum esse, neminem fugit, probationi, illum et ad vnionem prolium requiri longe immorari, aethiopem lauare duco.

Deinde ab iisdem et consensus vniendorum, immo et tutorum vel curatorum, nec non proximorum cognatorum vti et auctoritas et confirmatio iudicis ad vnionis prolium validitatem, et haec omnia quidem ad excludendam fraudis et laesionis praesumptionem necessaria requiruntur. Sed haec omnia perperam ad vnionem prolium in genere exiguntur. In genere enim nec consensu vniendorum, nec tutorum vel curatorum vel proximorum cognatorum nec auctoritate et confirmatione iudicis ad validitatem vnionis prolium opus esse — vbi nempe leges speciales haec requisita non praescribant, de quo casu vero mihi sermo non est — pluri mi et quidem magni nominis (Cti defendunt). Quaedam de hac quaestione adhuc paulo inferius §. 16.

B 3

§. 14.

o) *Georg Ludwig Böhmers auserlesene Rechtsfälle 1ten Bandes*
ate Abthl. Resp. 70. Nro. 6 et 7. Strubens Nebenstunden.
 Th. 5.

Vnio nunc tam ante quam post matrimonium iniri potest (nisi eidem ineundae statuto aliquo tempus praefigatur); ante matrimonium tamen non nisi sub conditione, si matrimonium fuerit secutum. Pactum vnionis prolium itaque initur vel a desponsatis, vel a coniugibus, vel iam vterque vel alter tantummodo ex priori matrimonio liberos proprios habeat, qui cum illis, quos ex nouo matrimonio sperant, parificantur. Vniendi sunt liberi proprii, legitime nati, etiam naturales, et quidem ratione matris indistincte, ratione patris vero, non nisi vxorem legitimam vel liberos legitimos non relinquat. Liberi vniti, si ad parentem referuntur, a quo procreati sunt, dicuntur *vniti proprii*, si vero ad alterum, a quo non sunt procreati, dicuntur *vniti non proprii*.

Th 5. S. 53. Dessen rechtl. Bedenken Th 2. S. 256. I. Hartw. REVTER diff. cit. §. 7. et prolixius adhuc in schol. ad hunc §. Godofr. BOENINGKIUS Instit. iur. civ. rom. Tit. de adopt. §. 13. RHODIVS in Diff. de vnione prolium sine praetore valida,

§. 15.

De iis vero solummodo bonis inire possunt vnionem prolium parentes, de quibus ipsis libera disponendi facultas competit, alias enim vnio prolium destitueretur effectu. Fieri autem potest de his bonis omnibus, vel de quibusdam, si vero a lege aut homine quaedam bona specialiter non excipiantur, omnia bona, quae pacifcentes tempore pacti possederunt, in pactum deducta censentur.

§. 16.

Quodsi vero nunc theorema accipiatur, vnientes non nisi de bonis, de quibus libera ipsis disponendi facultas competit, vnionem inire posse; nescio sane, ad quid liberorum vnientorum, ad quid tutorum vel curatorum, vel proximorum cognatorum consensus, ad quid auctoritas et confirmatio iudicis, cum hic de fraudis vel laesionis praesumptione ne cogitari quidem possit.

Ex hoc enim vero ipsissimo tot tantique DD. difensus oriri videntur, quod semper vnus plus minusue altero sub vnione prolium comprehendat.

Nunc

Nunc nequaquam negarem, vnionem prolium cum tot aliis pactis copulari posse, vt vniendorum consensu vtiq; opus esse posset, v. g. si liberi vniendi iam bona propria optimo iure quaesita possiderent, quae vnientes in vnionem ducere vellent etc. Cum enim hoc casu bona minorum sine cognitione et decreto iudicis et aliis quibusdam requisitis *p*) alienari nequeant; ad tale pactum etiam auctoritatem et confirmationem iudicis requiri lubenter concedo *q*). Tunc vero non manet simplex vnio prolium, sed societas quaedam a simplicis vnionis prolium conceptu longe diuersa. Ita etiam si iudicis auctoritate liberis prioris matrimonii praecipuum assignaretur, vel bona, quae ipsis iam propria adquisita, determinarentur, id nequaquam cum vnione prolium deberet confundi, quia id plane alienum et ab vnione prolium negotium esset longe diuersum. Si itaque vnioni prolium quid iungatur, quod iam iure communi auctoritate vel confirmatione magistratus indiget, iisdem et hic opus esse non ambigitur, quod
vero,

p) vid. Tit. D. de reb. eor. qui sub tutela etc.

q) Ex hoc etiam apparebit, quinam iudex hoc casu sit aduendus, de qua quaestione DD. in vnionis prolium requisitorum enumeratione etiam grauissime rixantur.

vero, vti iam dictum, ad simplicem vnionem prolium non potest applicari.

§. 17.

Eodem fato, quo idem in sexcentis aliis rebus iam factum est et adhuc indies fere fit, accidit, vt innumera fere requisita ad vnionem prolium necessaria a multis dicantur; initio nempe ab vnientibus facilioris probationis causa et ad euitandas lites — quem ob finem vnio prolium praesertim iniri solet — passim obseruata, a DD. statim necessitatis exclamata sunt. Ob enormem vero in hac re discrepantiam DD., quorum perplures has solemnitates et adhucdum necessitatis esse affirmant, insuperque facilioris probationis causa praedictas solemnitates obseruare consilii, minime vero necessitatis esse concedo.

§. 18.

Quae cum ita sint, ex iam dictis facile apparebit, in quantum opinio eorum vnionis prolium conceptui consentanea sit, qui rem ita decidendam putant:

Si, dicunt, maiorenes cum minoribus pacifcantur, et solemnitatis in minorum fauorem praescripta ne-

C

gli-

gligatur, negotium tantummodo minorum respectu nullum dici potest, maiores vero tenentur; minores vero maiores facti, libera voluntate — per vulgata iuris principia — confirmare illud possunt r), quam primum vero ratihabuerint, et horum respectu firmum validumque esse vix est, quid moneam. Ex defectu igitur, pergunt, confirmationis iudicialis, vel alius solemnitatis liberi tunc demum unionem prolium ut nullam impugnare poterint, si in ipso unionis pacto — non si euentu fortuito tale quid accidat — ipsis quid fraudi vel damno dispositum deprehendatur s); si v. g. iura liberis iam quaesita unione prolium ipsis essent ablata. Sed primo hic quaeritur, quaenam iura liberi habent quaesita in bona, de quibus vnientibus libera disponendi facultas competit? alia enim bona, ut iam saepius monui, vnientes in unionem prolium ducere non possunt, et cum Illo hic ex thesi negotium
inter

r) l. 13. §. 29. D. de act. emt. vendit.

s) Nonne idem et tunc possent, si iudex quid damnosum ipsis inofficiose confirmasset? Nonne potius, si vnientes citra liberam disponendi facultatem quid liberis damnosum disposuissent, id ipso iure nullum foret?

inter maiores et minores (parentes et liberos) supponatur, quod vnionem prolium esse nego atque pernego t), haec haud magnae mihi curae sint.

- 2) Nullum Ictum inueni, qui vnionem prolium per pactum inter parentes et liberos definiat, sed tantummodo per pactum parentum vel coningum de etc.

CAPUT III.

*Quinam sint effectus in itae unionis
prolium.*

§. 19.

Effectus praecipuus et principalis certo certius est: Nexus inter parentes et liberos diuersi matrimonii ex vnione prolium inductus, vi cuius liberi diuersi matrimonii ita considerantur ac si omnes omnino ex vno eodemque matrimonio nati essent, atque omnes omnia praecise liberorum propriorum iura adipiscuntur, sed nec plura nec meliora, ita vt vniti neque deterioris neque vero melioris conditionis sint quam proprii. Ex his etiam recte inferitur, et parentibus itidem eadem iura respectu vnitorum siue liberorum per fictionem propriorum, facta tecta manere, quae ipsis competunt respectu liberorum per naturam propriorum, ita, vt et parentes respectu vnitorum non deterioris, quam respectu liberorum propriorum sint conditionis.

§. 20.

Quibus praemissis aliorum quarundam quaestionum controuersarum decisiones pronò alueo fluunt. Quaestiones sunt istae:

I) an inita vnione prolium parentibus adhuc liceat condere testamentum?

II) an parentes testamento vnum alterumue liberorum possint exheredare?

III) an effectus vnionis prolium siue successio ex vnione prolium etiam ad collaterales extendatur?

Acerrime de his quaestionibus inter ICtos disputatur: quin verbo de eo mentionem faciant, a quo tamen decisio earundem quaestionum vnice dependere videtur,

§. 21.

Prius vero quam quaestiones allatae solide possint decidi, partim in rationem et naturam bonorum, post initam vnionem prolium, paulo accuratius inquirendum

dum, partim plures plane inter se diuerfos casus caute fecernamus necesse est.

Plerumque enim quam primum vnio prolium inea-
tur et expresse fieri solet communio bonorum, quod
etiam rationi vnionis prolium quam maxime consenta-
neum est.

Quasi vero etiam non expresse fit communio bono-
rum, tacite tamen per confusionem bonorum facta intel-
ligitur *u*). Bona itaque vi nouae societatis ita confun-
duntur vt proprietatis solitariae locum, iam condomini-
um subintret. Administratio autem cum vsufructu ho-
rum bonorum communium patri competit, eoque mor-
tuo relicta vidua, siue mater naturalis siue nouerca con-
sideratur, in communiione bonorum permanet, idemque
ius et administrandi et vtendi fruendi nanciscitur *v*).

§. 22.

u) STRYCK de success. ab intest. Diss. VIII. cap. VI. §. 17. quae vero
communia sunt recte et nostra dicuntur, ex quo, si haec vterque
coniux dicere potest, iam ipso communio bonorum satis elucescit.

v) AYRER diss. de vnionis prolium indole genuina et PVEENDORF
Tom II. obs. CC. §. 12. et quos ibidem laudat cum ipso consen-
tientes.

§. 22.

Nunc ex principiis de communiōe bonorum inter coniuges cum qualibet vnione prolium (vti ex § praec. apparet) coniuncta prima quaestio, an scilicet parentes inita vnione prolium adhuc testamentum facere possint, poterit resolui, quo respectu rem paulo inferius, aggrediar.

Cum per vnionem prolium tantummodo nexus inter vnientes et vnitos est inductus, qui alias inter parentes et liberos ipsa natura inducitur, in genere iam dici posse crederem.

Quam diu parentibus, qui liberos per naturae nexum proprios habent, facultas testandi conceditur, tam diu quoque illis, qui tantum liberos per fictionem proprios habent, illam facultatem denegare nefas esse; et id quidem ex simplici non in dubium vocata ratione: quod per vnionem prolium vnitis eadem nec vero plura nec meliora quam liberis propriis tribuuntur iura, ita vt non deterioris neque vero etiam melioris conditionis fiant, quam proprii et vt quoque ipsi parentes intuitu vnitorum non sint deterioris conditionis, quam intuitu pro-

prorum. Ex quo sequitur, parentibus intuitu vnitorum non pauciora iura competere debere, quam intuitu priorum. Quodsi nunc vero inita vnione prolium non amplius liceret parentibus condere testamentum, vniti non solum melioris conditionis quam proprii, sed insuper quoque ipsi parentes intuitu vnitorum deterioris conditionis forent, quam intuitu priorum, quae omnia genuino vnionis prolium conceptui repugnant. Quodque nemo per pactum vnionis prolium facultati testandi renunciaſſe cenſeatur per infra cit. text. ſatis euincitur *w*).

Et cum denique ius ſuccedendi ab inteſtato (quod ſummum eſt, quod vnitis vnione prolium tribui poſſe ſtatuo) non impediatur teſtandi facultatem; parentibus vnientibus vnione prolium non obſtante ius teſtandi recte vindicatur *x*), vt itaque ſucceſſio iuris communis obtineat.

§. 23.

w) Arg. L. I. C. de S. S. Eccleſ. et arg. L. 4. D. de adimend. legat.

x) REUTER cit. diſſ. §. 16. vsque ad finem. C. H. BREVNING diſſ. an vnio prolium adimat ius teſtandi paciſcentibus, Lipſ. 1771. FRANZKIVS in Reſolut. II. 28. BARDILI diſſ. de vnione prolium. Tübing. 1678.

§. 23.

Haec principia ex eo a nonnullis impugnantur, quod liberis propriis, si parentibus ius testandi post initam unionem prolium concederetur; nimium quantum et damno et fraudi esse posset, si scilicet eorum proprius parens primo decederet, alter testamento liberis suis propriis multo melius prospicere posset, quam vnitis. Sed idem etiam liberis ex altera parte contingere potest, ideoque damnum metuendum et lucrum sperandum ex vtraque parte aequalia sunt, ideoque dici non potest, alicui intuitu alterius concedendo facultatem testandi parentibus, iniuriam inferri, aut damno vel fraudi aditum ianuamque patefieri. Quodsi vero etiam incommoda quaedam fortuito ex aliquo negotio sequantur ideo tamen ipsius negotii natura et indoles mutari non debent, quia haec omnia ex post facto contingant, quae ob incertitudinem euentus non attenduntur. Tempore enim contractus de iis non apparuit.



§. 24.

Ad hoc accedit, quod paciscentes insuper omnem spem futuro euentui incerto committant, laesio itaque hic non magis quam in aliis eiusmodi negotiis, quae aleam quasi continent, poterit ipsum actum rescindere.

Quibus omnibus et hoc adnumerari potest, quod tamen nullo modo omnis laesio fortuita — si quis hunc euentum ita appellare amet — possit euitari: ponas enim, ex hoc matrimonio multo plures liberos natos esse, quam ab vno parente vniente in vnionem prolium sunt inducti, nonne etiam his laesio hic exoritur, quam, si credas ab vno alteroue reparari, valde erras, sed hoc incommodum eodem aequo animo ferendum est, quo commodum captarent, si nati fuissent pauciores, quam ex sua parte allati. Denique et hoc non omittendum, quod vnitis ab intestato succedentibus eadem remedia competant ad impugnandum testamentum nullum vel inofficiosum etc., quae liberis propriis competunt. Quam parum quoque haec praetexta laesio referat REYTER in iam saepius laudata Diss. tantis argumentis probauit, vt vix vllum dubium possit remanere.

§. 25.

Vt vero haec quaestio, scil. de facultate testandi parentibus post initam vnionem prolium competente, paulo accuratius exploretur solidiusque decidatur, nunc, vti principio §. 21. et §. 22. dictum est, res inuestiganda venit.

Ex §. 21. autem apparet, cum qualibet vnione prolium communionem bonorum esse coniunctam. In communiōe bonorum vero successio vel testandi facultas ita est comparata: Coniuges in communiōe bonorum viuentes et non nisi ex isto matrimonio liberos habentes vtriusque consensu testamentum condere posse, non ambigitur. Coniugibus ergo quoque, qui praeter liberos per naturam proprios etiam vnitos siue per fictionem (i. e. per vnionem prolium, cum qua semper communiō bonorum coniuncta §. 21.) proprios liberos habent, idem ius competat necesse est.

Mortuo vero alterutro coniugum in vnione prolium et communiōe bonorum viuentium, liberi proprii statim parentis defuncti locum in communiōe bonorum tenent, parentemque defunctum repraesentant; parens superstes itaque hoc casu testandi facultate haud gaudebit, id vero non vi vnionis prolium sed vi communiōnis bonorum.

D 2

§. 26.



§. 26.

Altera quaestio scil. de exheredatione liberorum, iisdem fere principiis absoluitur. Qui in genere parentibus facultatem testandi inita vnione prolium denegant, illi quoque ius exheredandi et quidem logices principiis fatis conuenienter penitus denegant.

Primo casu (viuente adhuc coniuge vtroque).

Et si vnione prolium patria potestas in sensu iuris romani non operetur, tantum tamen eadem operari constat, vt liberi alieni fiant proprii eoque ipso etiam idem nexus inter vnientes et vnitos, quem naturalis ratio alias inducit, oriatur necesse est; et cum denique primum officium parentum sit, alere et educare liberos, tantum etiam imperii et potestatis in liberos erit tribuendum parentibus, quantum ad hunc finem obtinendum necessarium est. Liberi ideoque vniti idem obsequium, eandem reuerentiam praestare parentibus tenentur, ac parentibus naturalibus. Si vero nunc liberi haec debita parentibus negligant, denegent, parentesque insuper tam grauius offendant, vt liberi proprii iure communi ideo possent exheredari, ideo et vniti exheredari posse debent, praesertim etiam quia contrarium affirmando vniti ad delinquendum inuitarentur *).

§. 27.

*) Nov. ius prov. Boruss. Tom. II. tit. 2. §. 749. parentibus quoque, inita vnione prolium non obstantem facultatem exheredandi (ideoque et testandi) concedit.

§. 27.

Quae cum ita sint, quid eo casu — propter atrocem alias ad exheredationem sufficientem parentibus illatam iniuriam — iuris est, quo (§. anteced.) facultas testandi parentibus non competit? Hoc casu plurimi vtut ius testandi et exheredandi parentibus denegantes, (ne tamen liberi reuera ad delinquendum inuitarentur, ne talis iniuria et offensa maneret inulta, nec parentes ad unitorum arbitrium eorum iniuriis et offensis essent expositi), statuunt: ingrati respectu vnionem prolium implorato iudicis officio eiusque cognitione interueniente posse reuocari ingratumque a successione repelli. Sed hi etiam liberis vicissim y) ius concedunt impugnandi pactum vnionis prolium, si parentes ipsis non debito modo de alimentis vel educatione prospiciant. Si vero, vti thesi est stabilitum, propria liberorum bona in vnionem bonorum non sint inducta, non video, quo iure pactum inter solos parentes initum possint impugnare, certe ius, si quod habent propter denegata alimenta vel peruersam educa-

D 3

tio-

y) STRYCK de success. ab intest. Diff. VIII. C. VI. §. 29. AYRER diff. cit. §. 18. §. 2. I. de Donat. l. 10. C. de reuocand. donationib.

tionem parentes accusandi, id ipsis non ex pacto acquiritur.

Cum insuper quoque iam cuiuslibet bene ordinatae reipublicae ordini disciplinae ciuilibus incumbit prouidere, ne liberi fame pereant vel educando corrumpantur, haec apposite hic mitti possunt.

Quae nunc controuersam successionem parentum spectant facile iisdem principiis possunt diiudicari.

§. 28.

De iure succedendi vnitorum inter se etiam acriter disceptatur. Plurimi tamen id ius vnitis denegandum putant. Sed et hic successionem iuris communis obtinere verissimum duco ex saepius memorato nexu per vnionem prolium inducto, vi cuius vniti intuitu parentum vt liberi proprii et vt ex vno eodemque cum liberis propriis nati matrimonio considerantur. Quare tales intuitu reliquorum liberorum non veniant considerandi?

Saltem ad euitandas lites vnitis omnibus inter se idem ius succedendi — quod liberi proprii inter se habent — vindicari, commodissimum esse puto.

Non-

Nonnulli ICtorum hic eo diuagantur vt nequidem pacto expresso ipsis id ius adquiri posse contendant, quod, — si, quae de bonis in vnionem prolium du- cendis dicta, obliuioni nondum mandata sint — ne- quidem meretur refutari 2).

§. 29,

Tertia supra memorata quaestio erat: an effectus vnionis prolium — siue successio ex vnione prolium etiam ad collaterales extendatur? Mirum in modum ICti quoad hanc quaestionem amice conspirant et vno ore omnes fere confitentur, quod scilicet effectus vnio- nis prolium ad collaterales nunquam extendatur aa), quod etiam non solum rationi vnionis prolium sed et quam maxime rationi communionis bonorum con- ueniens est. Ex nomine, natura, indole et fine vnionis prolium et praesertim ex intentione parentum vnionem prolium ineuntium — quae in diiudicanda vnione pro- lium.

2) HOFACKER principia iur. civ. Tom. I. §. 612. in fine.

SELCHOW elementa iuris german. §. 488.

aa) III. RVNDE *teutsches Privatrecht* §. 677. STRYK cit. loc. §. 19. HOFACKER cit. loc. §. 614. RICKII ab ARWEILER *Tractatus de unione prolium Coloniae 1660.* p. 202. nr. 24. p. 129. nr. 4. p. 160. nr. 49. BOCERI *diff. de vnione prolium* §. 17. et alii.

lium quam maxime consideranda venit *) — iam satis apparet, quod effectus ultra liberos (quo nomine vero et nepotes neptesque comprehenduntur) non extendatur. Quae vero per naturam, indolem, quinimo per ipsum nomen iamiam alicui negotio inesse intelliguntur, ea et scriptis vberius explicentur et determinentur haud est necesse.

Intentio enim vero parentum ineundo vnionem prolium est ipsa ipsorum liberorum salus, atque vt lites, quae non raro suo in comitatu et odium et inimicitiam habere solent, euitentur, amor et beneuolentia potius inter ipsos quam diutissime conferuetur, nequaquam vero vt de bonis suis collateralibus aut plane extraneis quid tribuere velle possimus statuere, sed haec illis perperam afficta intentio genuinae intentioni e diametro foret opposita.

Ad vnum vero effectum inducta non debent contrarium operari *bb*). Res plane omni dubio caret, si et hoc intuitu rationem communionis bonorum, successio- nemue communiione bonorum fundatam spectemus.

*) Arg. l. 50. D. de legat. I.

bb) l. 19. D. de reb. credit.

§. 30.

Vi communionis bonorum, mortuo vno alteroue parente liberi, vt iam dictum, defuncti parentis locum tenent, communionemque cum parente adhuc superstitute continuant, ita vt administratio et ius vtendi fruendi vnice penes parentem, siue pater siue mater sit, maneat, pro quo tamen — quod commode iam per se patet — parenti superstiti liberis de omnibus necessariis prouidere incumbit.

Morte itaque vnus coniugis siue parentis vnionem non dissolui dubio caret, sed durat, donec et alter decedat *cc*). Quodsi nunc vero etiam liberi vel quidam vel omnes viuo adhuc altero parente decederent, neque ab intestato, neque vi dispositionis partem eorum quis collateralis obtinere pōisset; quia dispositionem mortis causa condere ipsis non licet, quam diu adhuc vnus in communiōe bonorum comprehensus viuit, et ius repraesentationis eo tantummodo casu locum habet, si vnus ex liberis stante adhuc vnione prolium et communiōe bonorum decedat et liberos relinquat,
vbi

cc) HOFAGKER cit. loc. §. 614 nr. III.



vbi hi in demortui parentis locum succedunt; ita vt, si cum liberis vnitis concurrant, in stirpes succedant *dd*). Quaelibet igitur extraneorum hereditatis praetensio, donec vnus eorum viuat, quibus iura communionis bonorum fuerint adq̄uisita, vnionis prolium et communionis bonorum principiis plane est aduersa, cum eousque nequidem hereditas — praesertim in extraneos deferenda *ee*) — neque parentum legitima iuris intellectu concipi possit *ff*).

dd) STRYCK cit. loc. §. 21.

ee) arg. L. 7. §. 2. D. quod cuiusq. vniuersit. nomine etc.

ff) III. RUNDE *Deutsches Privatrecht* §. 607. LEYSER spec. 309. med. 4. PUFENDORF Tom. III. obs. 116. AYRER de legitima parentum pactis dotalibus liberorum exclusa. Götting. 1748.

CAPUT IV.

De dissolutione vnionis prolium.

§. 31.

Ex his quoque, quae de dissolutione vnionis prolium inueniuntur, perspicue apparet, principia de communione bonorum, quae hic cum iis de vnione prolium necessario coniuncta consideranda veniunt, in consilium haud esse vocata, sed penitus neglecta, quo partim tot et tanti DD. dissensus partim et singularia mira-
raque decisa referenda.

§. 32.

Vnio prolium finitur vel dissoluitur:

I) Morte vtriusque vnientium et subsequuta deinde bonorum diuisione.

II) Mutuo consensu gg), minime vero vnus dissensu, quia vt et ad constitutionem ita et ad dissolutionem

gg) arg. l. 58. D. de pactis.

E 2

tionem vtriusque paciscentis requiritur consensus, et quia nihil tam naturale est, quam eo genere quidquid dissoluere, quo colligatum est *hh*). Quid

III) de ingratitude sentiendum, iam supra (§. 27) expositum inuenies, quae dicta ruminare superfluum duxi.

IV) Si mortuo alterutro coniugum superstes ad vltiora vota transit, quo ipso communio bonorum et per consequens vnio prolium sublata *ii*) diuisio bonorum est instituenda.

V) Si turbato mortalitatis ordine omnes omnino liberi (nepotes neptesue) tam ex vna alteraue parte alati, quam ex hoc matrimonii nati ante parentes defuncti sint, statim vnio prolium euanescit, quia finis vnionis prolium non amplius obtineri potest. Et si communio bonorum inter coniuges tantum incidenter per vnionem prolium sit inducta, haec itidem sublata est et uullus effectus nec intuitu vnionis prolium nec intuitu

hh) l. 35 D. de reg. iur. l. 80. D. de solut.

ii) SELCHOW de dissolutione vnionis prolium ob nouas nuptias Tom. III. *seiner Rechtsfälle* p. 129. MEICHNER Decif. Cam. Tom. IV. Dec. 6. p. 37. AYRER diff. cit. §. 15. GMELIN *Beobachtungen und Rechtsfälle* Tom. I. n. 22. MEY. ad ius Lub. P. II. Tit. I in addit. ad nr. 113.

tuitu communionis bonorum ratione ipsorum parentum remanet, sed cuilibet ipsius bona propriae dispositioni relinquuntur.

Plane aliud vero dicendum videtur, si et communio bonorum expresse inita fuerit, tunc enim vtut sublata vnione prolium ipsam quoque communionem bonorum auferri non auderem affirmare.

§. 33.

Superfunt adhuc de dissolutione vnionis prolium quaedam quaestiones diuersimode decisae, quarum prima haec est:

An scilicet vnio prolium etiam dissoluatur, si ex matrimonio posteriori nulli liberi nati sunt, vel nati quidem sed mortui? Plurimi ideo eam vtique dissolui contendunt, ex ratione, quia finis vnionis prolium, scilicet parificatio liberorum priorum matrimoniorum cum illis ex posteriori nullo modo possit obtineri *kk*).

Alii aliter sentiunt et distinguendum putant, an scilicet ab vtroque coniuge ex priori matrimonio liberi

E 3

sint

kk) HOFACKER cit. loc. §. 614. AYRER cit. loc. §. 16. Ill. RVNDR
Grundsätze des deutschen Privatrechts § 677.

fint allati, nec ne? Priori casu vnionem prolium dissolui negant, eamque potius intuitu liberorum allatorum firmam manere contendunt, posteriori casu dissolui eam concedunt //). Quam verum id etiam sit, eorum tamen ratio, cur primo casu non dissoluatur, minus idonea et minus adaequata mihi videtur. Rationem enim esse dicunt, quod alias vnio prolium conditionalis esse deberet, conditionalis vero esse non posse, quia *ad exemplum* adoptionis inita esset, quae ceu actus legitimus conditionem non reciperet. Quas mugas non curans rationem potius in natura, indole et fine vnionis prolium positam esse, sum persuasus; ex qua ratione etiam sic distinguendis quidem quodammodo accedo, quin tamen negarem pacto expresso ita conuenire paciscentes posse, vt, si nulli liberi ex matrimonio posteriori sequerentur, vnio prolium extingatur.

§. 17.

Sed nec ita distinguendo res acu tacta nec exhausta mihi videtur. Meo potius iudicio et haec consideratio in computum venire debet. Quodsi nempe alter tantummodo vnientium iam ex priori matrimonio liberos ha-

11) STRYCK cit. loc. §. 31. ibique allegati cum ipso consentiente.

habeat, hi cum illis, qui ex posteriori matrimonio sperantur, vnione prolium perinde, ac si vterque liberos ex priori matrimonio habuisset, parificantur, eadem iura intuitu noui parentis adipiscuntur, quae habituri fuissent liberi ex isto matrimonio, si ex eo quidam nati essent; paucis: considerantur, ac si ex isto matrimonio et ipsi nati et vtriusque parentis liberi proprii essent; ergo etiam parenti, qui neque liberos ex priori matrimonio habuit, neque ex posteriori suscepit, ab intestato succedant oportet. Fieri enim vtique potuisset, vt et multo plures, quam ab vno parente allati, nati fuissent ex matrimonio hoc posteriori, tunc hi illis, portionem ipsis ab intestato debitam quam maxime fuissent imminuturi; cui vero damnum ferendum, cur illi lucrum non cedat? praesertim si principia de communione bonorum simul digne perpendantur, considereturque, quod euentu fortuito natura et indoles negotii cuiusdam, iuris intellectu, mutari non possit.

Quod denique, si etiam quantocunque numero liberi ex posteriori matrimonio nascantur, vnio prolium ideo non dissoluatur tam ex hoc ipso §pho quam §pho
24 apparet,



§. 35.

Ex his omnibus hucusque dictis, ut et iis, quae legendo aliorum de vnione prolium conscripta, notatu digna mihi visa sunt, magis magisque conuincor, tam ad euitandas, quam non euitatas decidendas lites, ex nexu inter parentes et liberos vnioni prolium induc̄to ortas, consultissimum esse: inter parificantes et parificatos (simul tamen debite principiorum de communione bonorum habita ratione) nullam aliam, quam inter parentes et liberos proprios intercedere rationem; principium et thesin agnoscere et comprobare.


Illud HORATII

Si quid nouisti rectius istis

Candidus imperti — si non, his utere mecum,

Finis esto.





s.b,

ULB Halle 3
002 692 058





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



DE
ONIS PROLIVM INDOLE
ET
ATQVE OBLIGATIONIBVS

QVAE
INTVITV PARENTVM VNIEN-
IBERORVM VNITORVM STA-
VEL INIVRIA DICVNTVR.

EN ACADEMICVM

AVCTORE

N. C. ROSE

BREMENSI.

GOTTINGAE,

ICINA BARMEIERIANA

MDCCC.

9

5

